

7907.

43

794.

1618, 11

13

13

DISPUTATIO JURIDICA
PUBLICA,

CONTINENS
NOBILES ET ILLUS-
TRES CONTROVERSIAS
ad quatuor libros Institutionum

Imperialium, in cursoriam recapitulationem
Collegii earundem Institutionum privati
hac hyemali semestri expediti.

Quam

JEHOVA DUCE ET AUSPICE

UT ET

*Suffragante Magnifico, Nobili, & Amplissimo Jctorum Collegio
in inclutâ Salanâ,*

SUB PRÆSIDIO

Consultissimi & Excellentissimi Viri

Dn. VALENTINI MELASII, BRANDENBURG.
March. J. U. D.

In Auditorio Jctorum discutiendam proponit

HARTWICH jur Burgf, HADELENSIS SAXO.

Die 28. Martii.

J E N Æ

TYPIS JOHANNIS BEITHMANNI,

ANNO clō lō cxviii.

132

1.



DISPUTATIO JURIS

PRIMUM

CONSTITUTIONES

NOBILITATIS ET ILLUS

TRES CONTRORSIAS

ad quatuor libros Institutionum

Imperialis, in curia receptationem

Collegii curiae Institutionum

et de quatuor libris

IMPERIALIS

ET

DE QUATUOR LIBRIS INSTITUTIONUM

IMPERIALIS

DE VALENTINI WELSHI BRANDENBURG.

1710

HARTWICH

IN

iii

1710

TYPIBVS JOHANNIS BELTMANNI

1710



735

INTRODUCTIO.

Dia & religiosa antiquitas, Studiosae
juventuti, tanquam regulam & di-
rectorium Studiorum, atque indu-
striae irritamentum, hunc praescripsit
versiculum:

Lectio lecta placet, decies repetita placebit.

Et divini Platonis aurea est regula:

Δίς καὶ τρίς τὸ καλόν.

Bis ac ter quod pulchrum est.

Itaque nos ad hasce regulas applicantes, cum hoc se-
mestri hyemali quatuor libros Institutionum Impe-
rialium privato discursu perquisiverimus, pro ut il-
lustrioribus controversiis ab eximio Jcto D. Philip-
po Henrico Haenonio sunt illustrati, recapitulationis
& pro memoria conducibilis repetitionis ergò, sequen-
tes controversias gravissimas ad eosdem quatuor li-
bros Institutionum Imperialium ordinatas, tandem
etiam publicae discussioni & ventilationi subjicie-
mus.

THESIS I.

Principem seu Imperatorem legibus solu-

A 2

tum

tum esse concludimus; distinguendo tamen inter leges juris divini, naturalis, & gentium, & fundamentales; & deinde, inter leges positivas, merè civiles, solennes, & constitutiones ab ipso latas, & alias caducarias.

Post Corra. lib. 2. Miscell. cap. 25. & ad l. Princeps 31. num. 3. & ibi Zas. ff. de ll. Vasqu. libr. 1. illustr. quest. cap. 26. nu. 15. Schrad. de feud. part. 10. sect. 5. nu. 185. Donnell. 1. Comm. 17. Conna. lib. 1. cap. 16. Gail. 1. obs. 14. n. 6. & 2. obs. 58. n. 2. & 9. Vult. ad §. sed & quod Principi 6. num. 8. Heigium a. nu. 17. usque ad 24. Inst. de I. N. G. C. Forsterum parte 1. disput. 13. th. 18. Hackelm. disput. illust. quest. 1. thesi 10. lit. a. Gerhard. disp. 1. Inst. th. 17.

II.

Quod attinet leges juris divini, ab iis Princeps solutus non est.

1. *Populus Romanus omne suum imperium & potestatem contulit lege Regià in Principem, ut omnis potestas Principis sit ab universo populo Romano §. 6. Instit. de I. N. G. & C. l. 1. ff. de Const. Princ. Acqui jus divinum non habuit populus Romanus, ut transferret; Ergò jus divinum in Principem l. Regià transferre non potuit, tantum abest, ut ab illo Principem omninò liberare potuerit.*
2. *Quæcung; jura sunt incommutabilia, circa ea populus Romanus Principi suo eam laxitatem concedere non potuit, ut ius, tanquam nunquam lata essent, non subjiceretur; aliàs immutabilia immutassent, quod contradictionem involvit. At jura divina sunt incommutabilia, l. 9. ff. de I. & I. §. 11. Institut. de I. N. G. & C. Ergò ab*
iis

736
iis eam liberare non potuit. 3. Quibus DEUS leges præ-
scripsit, ut eas custodiant, secundum eas ipsi vivant, judi-
cium suum expectent, & alios judicent, illi ll. juris divini
omnino sunt obstricti. At Principi, & omni Magistratui
DEUS leges suas ita præscripsit; quippe quod Princeps
ipsius DEI creatura sit, ad Roman. 13. Psalm. 82. per to-
tum. E.

III.

Neque legibus juris naturalis Principem
solutum possumus prædicare; Sed cum Bl.
dicimus, Principem esse sub lege poli, naturæ
& rationis.

1. Omnis creatura in rerum natura ll. creationis
& naturæ vivere cogitur, quia sic natura ipsa ordinavit.
Imperator autem est creatura DEI, ut qui homo creatus
est, & cujus potestas cum omni potestate desuper est. E.
ipsis legibus creationis & naturæ subjectus est. 2. Inter
omnia animalia jura naturalia sunt communia, princ. Inst.
de I. N. G. & C. At respectu naturæ Imperator considera-
tur, ut animal. E. Imperator legibus juris naturæ obstrin-
gitur. 3. Si Imperator legibus juris naturalis vellet esse
solutus, inverteret naturæ ordinem, & destrueret opera
manuum DEI, cum aliam condere naturam, & novas in
ea leges moliretur.

IV.

Et juris gentium legibus Principem sub-
jectum esse asseveramus.

1. Quia omnes homines juris gentium sunt subjecti.
Nam jus gentium est, quo omnes homines utuntur, & quod

A 3

apud

apud omnes populos peræquè custoditur §. 1. & 2. Instit. de
I. N. G. & C. l. 1. l. 9. ff. de J. & J. Atqui Imperator est
homo & hujus mundi civis, non Angelus, non DEUS.
Princeps inter cives est, extra civitatem neutiquam Prin-
ceps est, sed homo tantum, l. quod attinet 32. ff. de R. J.
E. Princeps communibus communis Politia legibus & ju-
ri gentium subjectus censeri debet. Vult. ad §. 7. num. 8.
Inst. de I. N. G. & C. 2. Legibus justitiæ & honestatis
Princeps solutus non est, l. digna vox 4. C. de ll. §. fin.
Inst. Quibus modis testam. infir. Atqui juris gentium
sunt leges justitiæ & honestatis, ut quæ secundum rectam
rationem præcipiunt. E. à juris gentium legibus Princeps
solutus non est. 3. Si lex, ut est universalis, & jurigen-
tium secundum rectam rationem homogenea, omnium
Dux & Princeps est, utiq; lex etiam est Principi Princeps,
ut legibus juris gentium & rationis non solvatur; omnium
enim inclusio nullius est exclusio. Atqui verum primum
juxta l. nam & Demosthenes 2. ff. de ll. Ergò & secundum.
4. Princeps non est honesti justitiæ regula, sed honesti ju-
stitiæ minister, ac ipsius juris custos & conservator, quia
quamprimum à recto desciscit, non Rex, non Imperator,
non Princeps, sed Tyrannus dici debet. Augustinus lib. 2.
de civitat. DEI. cap. 20. Ergò detestandi sunt isti Prin-
cipes, immò ne Principum quidem aut hominum nomine
digni, qui leges illius honesti justitiæ, atque adeò divinæ &
naturæ legis, una repagula laxant: execrandi verò illi,
qui se se tam nefariæ libidinis ministros principibus præ-
bent. Vult. ad §. sed & quod Principi. 6. Inst. de I. N. G. & C.

V.

Neque legibus Imperialibus sive funda-
mentalibus

737
mentalibus, utpote ad quarum observationem
Imperator semetipsum devinxit, solut⁹ est, sed
& illis pari modo obstringitur.

*Nibil tam congruum est humanae fidei, quam pacta
servare & fidem datam non fallere, l. 1. in princ. ff. de
pact. l. 1. §. illud 25. ff. de const. pec. l. 1. §. 4. ff. depositi. Et
hac lege, utpote jurisgentium omnes homines aequaliter te-
nentur. Cuno de pactis lib. 1. cap. 24. nu. 20. cum seqq. Et
in Principe ante omnia consideranda est fides data, l. 1. C.
de condit. in her. pub. l. digna vox 4. C. de ll. Nihilque est,
quod lumine clariore in Principe praesulgeat, quam recta
fides Auth. inter Claras. C. de S S. Eccles. Si Princeps fidem
non servat, non pro Principe, sed hoste nequissimo haben-
dus est. Can. 1. dist. 93. Atqui Imperator publicè cum sta-
tibus Imperii in ita conventionem, ad certarum legum ob-
servationem se devinxit. Mynsing. cons. 24. nu. 19. Schrad.
de feudis part. 10. sect. 5. nu. 185. E. Imperator legibus
illis Imperialibus, adeoq; verè suà fide solutus non est.
2. Si omnes omnium temporum Principes, Imperatores, &
Reges, conditionibus, quibus ad Imperium vel regnum eve-
cti sunt, ex conventionem quadam saltem tacitè, quæ ex
æquo omnes mortales alligat, obstringuntur, nec ullus etiam
nisi per tyrannidem Imperium sive regnum invaserit, sine
certis conditionibus saltem illis, quæ ex communi tantum
imperandi sive regnandi natura dependent, ad Imperium
sive regnum ascendit; Ergò omnis omninò Imperator cer-
tis conditionibus iisque legibus fundamentalibus ligatus ad
imperium pervenit, nec iis solutus dici potest.*

VI.

Principem verò solutum esse statuimus,
legibus

legibus merè positivis & civilibus, & solemnibus, & à se, & à majoribus suis latis, ut & aliis caducariis; iisdem tamen suapte sponte, ut ingenuum & heroicum animum decet, se submittere & conformiter vivere posse, ut id quod ipsi licet, licere sibi non patiatur.

Sic Princeps ex testamento imperfecto potest hereditatem capere, si ipsi libet, quamvis sponte sua soleat tales hereditates remittere; Sic ex testamento minus solemniter legatum sibi relictum sponte sua negligit, licet si vellet uti jure stricto, id capere fas esset; Sic ex testamento, in quo filius familias non justè exheredatus esset, posset Princeps heres ibi institutus, hereditatem capere, licet id sponte sua, dum erga tales filios benignus esse vult, negligere soleat. 1. Namque cui DEUS civium leges ipsas subjecit, ille iisdem solutus est; Si non, subiecta non essent ipsi, cui subiecta dicerentur. Atqui DEUS Imperatori leges intellige civiles ipsas subjecit, legem animatam eum mittens hominibus Novell. 105. c. 2. in fine. Ergò Imperator legibus & civilibus positivis solutus est. 2. Leges civiles per Romanum Imperium universales, aut majores seu antecessores Principis, aut Princeps ipse condidit. Atqui nec majorum seu antecessorum suorum, nec sui ipsius legibus Imperator obstringi potest. Nam par in parem non habet imperium, l. nam Magistratus 4. ff. de recept. arbit. cap. innotuit 20. Extra de electione. Et nemo potest sibi ipsi imperare. l. si de re sua 51. ff. de recep. arb. l. 13. §. 4. ff. ad SCtum Trebell. Vel legem ponere à quâ recedere non liceat. l. si quis 22. ff. de legatis 3. l. 7. §. 8. ff. de donat. inter virum & uxorem. Ergò à civilibus legibus Romanis Imperator solutus

738.
lucus est. 3. Leges à nemine possunt mutari, nisi ab eo, qui legibus solutus est, nunquam ab eo, qui obligatus est, cum hic ab ipsis legibus ligetur & constringatur, quo minus contra eas aliquid annitatur, ille minimè. Atqui ab Imperatore civiles leges subinde mutantur ex necessitate publicæ utilitatis Novell. 7. c. 2. in princip. l. necessarium 2. §. 3. & 4. ff. de orig. juris. Et hoc est, quod Justinianus dicit, in Nov. 105. c. 2. in fin. Subjecit Deus Imperatori ipsas leges, legem animatam ipsum mittens hominibus. E. 4. Quæ leges positivas civiles negligere, ab ipsis recedere, vel contra eas venire potest ex justa causa, ille iisdem non obligatur. Atqui Imperator hoc potest. Nam Imperator legata ex imperfecto testamento, cum ipsi libet stricto jure suo uti, capere, & eadem sua sponte negligere potest, l. ex imperfecto 23. ff. de legatis. 3. Etenim aliàs imperfectum legatum jure nullum est, quod tamen contra leges civiles Imperator capit, vel non capit, pro libitu per dict. leg. 23. Sic leges civiles præcipiunt, ut filio injustè à patre exheredato restituantur bona l. si heredum 10. C. de inoff. testam. At Princeps contra ejusmodi leges, si in testamento illo, in quo filius injustè exheredatus est, heres institutus est, potest hereditatem capere, licet id sponte sua, dum erga tales filios benignus esse vult, negligere soleat arg. l. ex imperfecto 3. C. de testam. Sic nullum testamentum est de jure validum, quod solemnitatibus necessariis destituitur. l. si querimus 4. ff. de testam. At testamentum ab Imperatore conditum, etiamsi nullæ in eo adhibitæ sint solemnitates, de jure civili est validum. l. omnium 19. C. de testam. Sic omnis de jure civili donatio debet insinuari, sive ad trecentos sive ad ducentos solidos cumuletur. l. sancimus 34. sive hodiè ad summum ad quingentos l. si quis 36. §. ceteris 3. C. de donatio.

B

tio.

82
tio. At verò Imperialis donatio non indiget insinuatione,
ut quæ sub observacione monumentorum fieri indignatur,
d. l. 34. C. de donat. Sic Imperator in emptione & venditio-
ne rectè contrahit sine pretio, contra princ. Inst. de empt. &
vend. Sic locatio ejus & conductio, sine mercede valet, con-
tra prin. Inst. de locat. & cond. Sic stipulatio ejus valet si-
ne verbis contra l. 1. princ. ff. de V. O. Itemq; licet sit diver-
sitas inter interrogationem & responsonem contra d. l. §. Si
quis simpliciter 3. ff. eodem; Sic contractus emphyteuticus,
ab eo celebratus valet sine scriptura, quod tamen, in aliis
privatis non obtinet. tot. tit. C. de jure euphyt. Sic servus
Imperatoris, ut ingenuus heres scriptus adit hereditatem
l. 41. ff. de hered. instituendis, cum tamen toto jure nostro
servus heres scriptus necessarius heres sit. Vasquius illustr.
contr. cap. 26. n. 13. Ergò legibus solemnibus, & juris civi-
lis positivis, Imperator solutus est. 5. Deo à nullo præscri-
buntur leges, neque in cœlis, neque in terris, cum ille sit
Principum & Imperatorum omnium Dominus, universa-
rumq; existentium rerum auctor, qui facit omnia quæ vult, &
justa sunt. Atqui Imperator comparatur cum DEO, quod n.
DEUS in cœlis est, id Imrator est in terris, arg. l. de pre-
catio 9. ff. ad L. Rhod. de jactu l. bene 3. C. de quadrienn.
prescript. unde tituli in C. ipsi passim sunt adscripti. Cæleste
oraculum, divinitas, æternitas, æternales vultus. l. 1. §. sed
neque 6. C. veteri jure enucli, ubi Jctorum veterum scri-
pta & studia dicuntur denuò ex divino ore profusa; item
in l. si imperiales 12. C. de ll. queritur, quid sit majus, &
quid sit sanctus Imperiali Majestate? Hinc Bl. in capit.
Imperialem, de prohibita feudi alienatione per Fridericum,
& in cons. 328. Queritur, si Rex Romanorum in 3. colu-
mna in lib. 1. & cons. 100. Ad evidentiam præmitto, libr.
ult.

739
ult. Imperator est corporalis mundi Deus, & tanquam
terrestre Numen, & ut stella matutina in medio nebula
meridionalis imminet inter omnes Reges; unde sicut non
juratur contra DEUM, ita nec contra Imperatorem,
qui mundi Dominus dicitur. Ergo nec Imperatori in ter-
ris leges à quoquam praescribuntur.

VII.

Provocatus ab aliquo, si modo potest ce-
dat provocanti, ne fiat spontanea sanguinis
profusio; quod si tamen contingat, ut pro-
vocatus cum provocante congregiatur, &
provocantem occidat, tunc provocatus ille
non ordinariâ poenâ L. Corneliae, sed extra-
ordinariâ, vel relegatione, vel alia ex arbitrio
judicis afficiatur.

Id quod asserimus post Menoch. de arb. quest. casu 278.
Covarruv. ad Clemen. si in furiosus. Tat. de homicidio. part. 3.
§. unico n. 3. Tiraquell. de poenis legum. causa. 1. n. 7. Clarum
lib. 5. sentent. §. homicidium n. 34. & quest. 60. n. 18. Gail.
lib. 1. de pace pub. c. 16. nu. 19. & 20. Item lib. 2. observ. 110.
n. 15 & 35. & seqq. Fachin. lib. 1. controv. cap. 32. 1. Qui
non dolo, nec fraude, sed fato quodam citra animû occiden-
di occidit, illi homicidii poena non est imponenda, sed miti-
ganda. l. Gracchus 4. in fine C. ad L. Jnl. de adult. l. frater
1. C. ad L. Cornel. de Sicariis l. lege prima §. Divus 3. &
l. Divus 2. ff. eodem. Atqui provocatus non dolo, non frau-

de occidit, si contingat ut occidat. Nullus enim dolus vel animus occidendi, nullum vindictæ studium præsumitur in eo, sed omnia ad defensionem facere præsumitur; quippe provocatus stateram in manu habere non potest, ut non aliter offendat quàm velit, & vulnera ad mensuram infligat. Dd. & glossa in l. 1. C. unde vi. Gail. d. n. 20. Bl. in l. ut vine, versi. cognoscunt ff. de J. & J. Ergò provocati ob homicidium pœna mitiganda est, ut ordinaria commutetur in extraordinariam. 2. Difficilimum est justum dolorem temperare, ideoque delicti propter eum perpetrati pœna mitiganda est, l. si adulterium 38. §. Imperator 8. ff. ad L. Jul. de aault. Atqui ejus, qui provocatur ab aliquo justus est dolor, ut justo illo & intenso dolore commotus non censeatur habere plenitudinem intellectus, siquidem metus improvisus instantis periculi tollit rectum judicium & consilium deliberandi, ut notant Dd. locis allegatis. Ergò si provocatus ab aliquo provocantem occidat, delicti ejus pœna mitiganda est, ut extraordinariè puniatur. 3. Qui calore iracundiæ occidit: in totum quidem non excusatur ab omni pœna, sed pœna ei imponenda mitigatur, argumento l. quicquid 48. & ibi Decius num. 7. & 8. cum ibi allegatis. Irati enim toto animo conturbantur, rationis usu carent, loqui nesciunt, sensibus uti nequeunt, adeoque insanunt. Gail. lib. 2. observ. 110. nu. 35. & seqq. Item temerarii quidem digni sunt pœnâ, insanis tamen parcendum est, etiam quoad pœnam ex crimine læsæ Majest. l. famosi 7. §. hoc tamen 3. ff. ad L. Jul. Majest. l. 1. C. si quis Imperatori maledixerit. Atqui provocatus si occidit, iracundiæ calore occidit, non secus ut insanus, quia ferè semper verbis injuriosis provocatur, hinc incenditur & quasi inflammatur summo iracundiæ calore, ob ignominiosam illam
pro-

provocationem, adeò ut insaniat, & intellectus plenitudine privetur. Nam viris honestis metus infamiae major quàm mortis esse debet. l. isti quidem 8. S. quod si dederit ff. Quod metus causa. Et dolo carere non dicitur, qui honorem amittere proprium, quàm compendium maluit, l. Julianus 26. in fine princip. ff. si quis amissà causà testamenti. Et gravior oculorum amissione censetur honoris privatio. l. infamia 8. C. de decurio. lib. 10. Et denig, fama hominis omnium rerum pretiosissima est, & inestimabilis. l. si in duabus 104. ff. de R. J. Ergo pœna provocato, qui occidit, mitiganda est. 4. Facit pro provocato Constit. Electoralis Saxonica art. 10. part. 4. ubi dicatur; Würde sich es aber zutragen/das der/so durch Ehr verletzliche Wort gefordert/den Provocanten entleibte/so sol er in Erwegung der Personen Umstände mit ordentlicher Straffe der Todtschläger nicht beleet/sondern willkührlich/als mit Landes Verweisung/ vnd dergleichen gestraffet werden/etc.

VIII.

Circa materiam nuptiarum concludimus: Si liberi absque consensu parentum suorum nuptias contraxerunt. Et liberos procrearunt illegitimos & naturales tantum, postea verò parētes reconciliati consenserunt, ut deinceps nuptiæ eorum sint justæ, ut filii antea nati naturales, non fiant etiam legitimi, quod non faciat rati habitio parentum.

Hottomannus illustr. quest. 9. Cujacius lib. 3. obs. 5.
Anton. Cont. disputat. 7. Vultej. lib. 1. J. R. cap. 18. n. 91.
Et in Comment. ad prin. Inst. de nuptiis nu. 19. 20. Et 21.
ibique Borcholt. Hoen. disp. 2. th. 5. 1. Ubi jussus parentum ex
necessitate precedere debet Et negligitur, ibi ratihabitio eo-
rum non est ejus roboris, ut minus rectè factum faciat
valere. Jussus enim Et auctoritas, cum ratihabitio-
ne in jure nostro ita se mutuò ponunt, ut jussus negotium an-
tecedat, auctoritas in ipso negotii actu interponatur, rati-
habitio negotium perfectum insequatur, l. fin. ff. de acqu.
vel amitt. hered. Atqui jussus parentum in nuptiis libero-
rum necessariò precedere debet, prin. Instit. de nuptiis,
ubi verbum, debere, necessitatem inducit, Et si liberi abs-
que consensu parentum coeunt vel nuptias faciunt, rati-
habitio parentum justas non potest nuptias facere. Ergò
multo minus sufficit, ut liberi inde nati sint legitimi.
2. Ea, quæ uxor est, vel uxoris loco (ut Sponsa) habe-
tur, jure mariti, adulteriù accusari potest, l. si uxor 13. §. 1.
Et 3. ff. ad L. Jul. de adult. Atqui filiafamilias, quæ prius
absque patris consensu nupsit, licet pater postea in ejus
conjunctionem consensit, jure mariti accusari non potest
adulteriù prius commissi, quàm consensit pater dict. l. si
uxor. 13. §. si quis 6. ff. eodem. Ergò filiafamilias, quæ
prius absque patris consensu nupsit, licet in ejus conjunctio-
nem pater postea consenserit, uxor per omne tempus, Et
quousque pater non consensit, non est. Ergò si filiafami-
lias absque patris consensu nupta, quoad illud tempus, in
quod patris consensus non accessit, licet pater postea
consenserit uxor non est, ratihabitio patris legitimum
non facit matrimonium, quod ante absque patris consen-
su contractum. Ergò nec facit ut filii inde nati sint le-
gitimi.

740.6.
gitimi. 3. Ubi quid pro forma requiritur, ibi per equipol-
lens non potest expediri; quia alias seponitur essentia rei &
causa propria, assumptâ adulterinâ. Atqui in nuptiis li-
berorum requiritur consensus parentum ad constitutionem
earum ut forma, princip. Inst. de nuptiis. Ergo in nuptiis
liberorum neglecto consensu parentum nihil valet ratihabi-
tio eorum.

IX.

Liberos ex matrimonio illegitimo matri-
monio contracto natos esse spurios certi juris
est, illos tamen per se, ne quidem infamiâ
facti laborare concludimus.

Post Menoch. 2. arb. quæ. casu 454. nu. 15. Thomin.
decif. 48. nu. 10. & seqq. Modest. Pistor. conf. 46. Palcott.
in tr. de spuris. c. 55. Fach. lib. 4. cont. c. 93. & ab his allega-
tos. 1. Regula est tam divini quam humani juris filium
non debere iniquitatem patris sui portare, Deut. 24. v. 16.
2. Regum. 4. vers. 6. 2. Paralip. 25. vers. 4. Ezech. 18.
vers. 20. l. 22. l. 33. §. leg. 5. ff. de inoff. testam. cap. non
debet. 20. de R. 7. in 6. tot. tit. C. ne filius pro patre. Atque
hujus delicti, ut spurius quis sit progenitus pater ejus cau-
sa est, nihil ad hoc fecit filius, cap. nasci 56. distin. l. fin. C.
de natura. lib. E. pater filius non spurius infamis est. 2. In-
famibus portæ dignitatum non patent, l. neque famosis 2.
C. de dignit. ca. infames de R. D. Atque spurii, si vitia pa-
rentum non sectentur, sed propriâ virtute decorentur ad
honores & dignitates admittuntur. l. generaliter 3. §. spu-
rios. ff. de decurionibus. cap. numquam c. apostolica &
seq. distin. 56. Ergo spurii infames non sunt. Ejus qui
nihil

5045
nihil admisit dignitas impedienda non est, l. spurii 6. in
princ. ff. de decurio: & ubi nulla culpa, ibi nulla poena,
& delicta suos tenent auctores l. sancimus C. de poenis ar-
gum. l. anniculus 132. §. 1. ff. de V. S. At spurius nihil ad-
misit, nulla ejus est culpa, nulla propter ullam culpam
poena. Ergo spurius, in quantum spurius, est, infamis non
est.

X.

Immota est juris regula: Quod quandiu
testamentaria tutela speratur, cesset legiti-
ma; at verò in Aurea Bulla Caroli IV. cap. 7.
de succession. Principum Electorum §. eã ta-
men conditione &c. sancitum est: q̄, si con-
tingat, ut Electorum laicorum quidam ab hac
luce migret, & relinquat heredes masculos &
legitimos, laicos, defectum ætatis patientes,
tunc frater senior ejusdem Electoris, & sic pro-
ximus agnatus heredum Electoralium tutor eo-
rundem & administrator existat, donec senior
ex eis legitimam ætatem attigerit, quæ duret
usque ad 18. annos completos, impuberis here-
dis Electoralis. Hinc concludimus, quod hoc
jure aureæ bullæ publico, & publicâ lege fun-
damentali Electori jus testandi eousque au-
feratur, ut per testamentum heredibus suis
alium tutorem dare non possit, & inde semper
sit Electoralium heredum tutor & administra-
tor

Continuation vide
210 15 page

tor legitimus; & vice versa: quod proximo agnato tale jus ex aureâ bullâ, & lege fundamentali publicâ testamento non possit auferri.

Gœdd. ad l. verbis 120. in fine de V. S. Ern. Cothman. 1. cons. 43 nu. 18. And. Knichen de jure Ducum & Electorum Saxonie non appellendo cap. 4. nu. 6. & 11. Matth Stephan. de jurisd. libr. 2. part. 1. cap. 5. num 68. cum seqq. Hackelm. illustr. quest. disput. 15. th. 5. lit. C. Clariss. Dominus Præceptor Arumæus in discursu suo jure publico 31. Post Dominum Andr. Gerh. quest. 1. 1. Omne id, quod testator disponit, contra ea, quæ ex lege & juris provisione necessaria descendunt, minimè observandum, siquidem testatoris voluntas servanda est in his, quæ ex ipsius testatoris dispositione, absque juris necessitate veniunt Jaf. in l. nemo potest 52. in secunda lectura nu. 33. ff. de legatis 1 arg. l. 1. C. de usufructu l. scire 7. C. ut in possess legatorum vel fideicom. l. hoc modo 64. l. cum tale 72. §. Si arbitrato 4. ff. de cond. & demon. l. Cerdonem 42. & ib. gl. ff. de operis liber. l. in hoc judicium 14. §. si conveniat 2. ff. commun. dividun. Johannes Bolochnetus ad l. nemo potest 55. nu. 45. ff. de leg. 1. Gœd. d. loco. Atqui Elector testamento alium quàm proximum agnatum filiorum suorum impuberum, ante 18. eorum atatis annum tutorem constituens, contra ea, quæ ex legis & juris provisione necessaria descendunt, videl publici juris imperii aureæ bullæ c. 4. d. c. 7. disponit. Ergò testamentum illud Electoris servandum non est. Ergò per testamentum illud jus tutelæ proximo non aufertur. 2. Tutor legitimus non est, nisi sub hac conditione, si testamento tutor datus non sit, vel paterfa-

C

miliâs

miliās ab intestato mortuus fuerit, tunc impuberis relictī
tutelam gerat proximus agnatus, §. quod autem lex Inst.
de leg. agnat. tut. l. si quis posthumus ff. de lib. & posth.
At lex fundamentalis prædictæ aureæ bulle absque condi-
tione simpliciter præcipit & ordinat, ut tutor pupilli Ele-
ctoralis sit proximus agnatus. Ergò hanc publicæ legis or-
dinationem ex jure privato privata hominis voluntas non
infringat, arg. l. 55. de legat. 1. l. 3. C. Qui testam. facere
possunt d. l. 120. de V. S. 3. In nullo feudo valet testamen-
taria ordinatio defuncti, cap. unico §. donare, qualiter olim
poter. feud. alien. 2. Feud. 9. Ergò multò minus valet in
feudo regali, ut ejus administratio tutori alicui possit de-
ferri: Talis namque tutor rei potius datur quàm personæ,
unde καὶ ἐξοχὴν administrator dici solet. Excellentissimus
Dn. Arumæus, & Dn. Gerhardus.

XI.

Circa materiam occupationis, vel rerum
pro derelictis habitarum concludimus: Si in
quibusdam locis consuetudo vel statutum re-
periatur, quod naufragio factò bona, quæ in
navi erant, cadant in commissum, & ad do-
minum loci, cujus est flumen, pertineant, ta-
lem consuetudinem esse irrationabilem, con-
tra jura usitata pugnantem, & penitus abro-
gandam.

Gail. lib. 1. obs. 18. post Br. & Dd. in l. omnes popu-
li 9. ff. de J. & J. & ibi Zas. nu. 17. 1. Imperator enim
Fridericus omnes tales consuetudines tam præsentem, quàm
futuras

742

futuras aufert per auth. navigia. C. de furtis, ubi insuper transgressores hujus constitutionis precipit bonorum omnium suorum publicatione mulctari. 2. Imperatori Friderico adstipulatur Carolus V. in ordin. criminali cap. 119. per quam constitutionem hujusmodi consuetudines tanquam corruptelas, & irrationabiles annullari, cassari, & in perpetuum tolli sancivit. 3. Certi & indubitati juris est consuetudines irrationabiles nullius momenti esse per text. in cap. 2. §. fin. & in cap. mala autem consuetudo dist. 8. At per consuetudinem, de quâ in presenti agimus, aliquid committitur contra omnem rationem, calamitas calamitati, afflicto afflictio additur, contra l. Divus ff. de off. pres. & l. tam dementis C. de Episc. audient. 4. Adde, quod de Jure Canonico ipso sunt excommunicati, qui naufragium passos spoliant. Cap. excommunicationi. Extra de raptoribus. At in proposito, quid aliud est quàm mera spoliatio? Cur igitur hoc per consuetudinem, tanquam jus receptum, probatur?

XII.

Circa materiam testamenti, & heredis institutionis, nobilem hanc practicam controversiam affirmativè decidimus: Quod à parentibus liberi possint exheredari, ob causas vel pares, vel majores, adeoque plures, quàm quatuordecim illas, quæ in Novella 115. cap. 3. exprimuntur.

Post Jason. in auth. non licet nu. 6. & 7. ibique Sichard. C. de liber. prateri. Emanuel. Costal. in l. Gallus §. & quid si tantum part. 3. num. 173. cum seq. ff. de lib. &

577
posth. Gomez. tomo 1. variar. resol. c. 11. nu. 10. & seq. Me-
noch. lib. 2. arb. jud. quest. cap. 267. Cujac. in Nov. 118. Mo-
lina. in consuet. Paris. tit. 1. §. 30. num. 138. Fachin. 6. cont.
cap. 78. Heig. ad §. mater nu. 14. Inst. de exher. liber. &
cum communi Dd. Schola. 1. Si Imperator Justinianus in
Nov. 115. cap. 3. in eo tantum laborat, ut causas exhereda-
tionis liberorum in aliis legibus partim insufficientes, mino-
res, leviores, partim ambiguas, partim tumultuariè posi-
tas, & ante Nov. illam de facto quandoque approbatas ex-
cludat, utique non exclusit causas similes, pares, majores,
vel graviores; quia dictiones taxativæ etiamsi excludant,
non tamen excludunt casus similes & cognatos, sed dissimi-
les & suo generi contrarios, arg. l. ob res 12. ibique gloss. C.
de prædiis & rebus minorum l. fin. C. de rei vind. Verum
autem antecedens; siquidem tales causæ deprehenduntur in
legibus anterioribus insequentibus. Primum: Talis causa
est in §. sed si in expeditione 6. Inst. de exh. liber. ubi; Si mi-
les silentio præterierit liberos, vel posthumos, ignorans, an
habeat liberos, præteritio ista nuda pro exheredatione no-
minatim est. Deinde; Ambigua est & nimis generalis cau-
sa, scilicet ingratitude in l. cum apertissimè 10. C. de secun-
nupt. 3. Talis est in l. non tamen 3. §. si emancipatus 5.
vers. nec enim minus ff. de bono. poss. contra tabul. ubi me-
rita nepotis, & delicta patris expendantur, & sic causæ
sunt incertæ. 4. Talis est, quando expenduntur merita ex-
heredatorum & conquerentium. l. cum naturales 7. ff. de
bon. damnat. l. 19. C. de inoff. testam. Verum igitur est
& antecedens, scilicet has enumeratas, & id genus alias
causas Imperator excludit, non verò similes, pares, gravio-
res, & majores. 2. Ratio: Exempla sunt vades & Spon-
sores regularum, ex quorum affectione & natura de gene-
ralitate

ralitate regula judicatur. Atqui multa sunt exempla in
 jure nostro, quibus præter illas 14. causas in correctionem
 juris antiqui hodie certò positas in Nov. 115. cap. 3. demon-
 strantur alia, vel æquè graves, vel majores exheredatio-
 nis liberorum causa. Ergò inde arguitur & judicatur re-
 gula generalis: Plures esse, easque vel pares, vel similes,
 vel majores exheredationis liberorum causas, quàm in d.
 cap. 3. recensentur. Assumptum probatur 1. per l. minimè
 35. ff. de religios. & sumpt. funerum, ubi parens filium
 suum patriæ proditorem potest impunè occidere. Ergò mul-
 tò magis eadem de causâ exheredare potest. Sic potest ex-
 heredari filius etiam, qui patrè infirmum non benè curat, vel
 ad perfectionem, ut quia aut Medicum quem habere potuit
 haud conduxit; vel si conduxit haud conduxit, bonum, cū bo-
 num & peritum habere potuerit; idem est, si ei alimenta de-
 negat petita, cum alere eum potens teneatur istis de causis,
 ut notat Hier. Giachar. in addit. ad Jul. Clar. §. testamen-
 tum quest. 41. lit. B. per ea, quæ notat Angel. Aretin. in §.
 alio quoq. sub nu. 4. Inst. quibus modis testam. infirm. n. 5.
 Deinde in usibus Feudo. dominus potest Vasallo adimere
 Feudum, non tantum ex causis expressis, sed etiam ex simi-
 libus, & si quæ majores occurrant ingratitude causa, quæ
 privationem feudi suadeant, in cap. unico §. prædictis titul.
 quæ fuit prim. causa benef. amitt. 2. feud. 24. Sed ibidem
 asseritur pluralitas aliarum causarum privationis feudi com-
 parativè, puta ad pluralitatem causarum exheredationis libe-
 rorum, repudiæ & donationis revocandæ; quod pariter, ut
 illarum causarum plures, ita etiam feudi privationis plures
 possint adduci: Ergò disertè Feudista concludit, justas ex-
 heredationis causas plures posse dari, quàm quæ novâ consti-
 tutione, quam ita vocat, puta Novell. 115. c. 3. exprimun-
 tur. 3. Quia Imperator ipse in eadem Nov. 115. cap. 3. §. si

alien v. 11. si verò usque, causam aliam inter quatuor non expressam, sed iis similem ponit, scilicet: Si filia minor 25. annis in vitis parentibus etiam virò honesto nubat, exheredetur, quam causam inter reliquas esse nemo dicet, nisi quis Imperatorem sibi ipsi non constare nugetur Heig. d. loco. 3. Ratio: Si quando ratio aliqua in lege vel constitutione generaliter est concepta, tunc causæ subjectæ legi aut constitutioni non restringunt eam ad causas illas expressas; & regulariter exempla sub regula posita regulam ipsam, restringere non debent, cap. si Papa. Extra de priv. in 6. Vasquius de success. creatu. lib. 2. §. 12. nu. 48. Atqui in proposito casu exheredationis liberorum ratio illa ingratitude est generalis, sicuti enim ex meritis beneficia conferuntur, ita æquum est, eadem ex causa culpæ auferri. Ergò in proposito causæ ingratitude à Justiniano in d. cap. 3. enumeratæ non debent restringere regulam & constitutionem ejus generalem.

XIII.

Ex materia successionis ab intestato concludim⁹: Quod fratrum vel sororum utrinq; conjunctorum filii soli, non extantibus unà cum illis thiiis paternis vel maternis, id est, patruis vel avunculis, amitis aut materteris, succedant defuncto sine liberis thio alicui sive patruo sive avunculo in capita, non verò in stirpes.

Cum Azo. in summa C. de legat. hered. nu. 7. Jacob. Butrigario. Cyn. OdoFRE. Alberi. de Rosat. Paul. de Cast. Obert. de Bobio. Salic. in auth. cessante C. de legat. hered. Zas. lib. 1. singul. intell. cap. 7. Cujac. consul. 4. in fin. Don. lib. 9.

libr. 9. Commen. cap. 4. Et cum illis Dd. quos accumulatur
 Harpr. ad princ. tit. Inst. de heredit. quæ ab int. deferunt.
 nu. 368. Et Fachin. lib. 6. cont. cap. 3. 1. Quod mutatum
 non est, quare stare prohibeatur? l. sancimus 27. in prin.
 C. de testam. argumento l. precipimus 32. §. fin. C. de appell.
 Atqui quod fratrum filii soli patruis nullis cum iis unà exi-
 stentibus non in stirpes, sed in capita succedant, jure anti-
 quo ejusque ratione stabile fuit, vel per mille amplius an-
 nos ante Novell. 118. à Justiniano Imperatore promulga-
 tam, nec eadem Novella 118. jus illud antiquum immu-
 tatum, neq. juris illius ratio abolita est. Ergò hodie adhuc
 obtinet jus antiquum, quod scilicet fratrum filii soli non
 in stirpes, sed in capita succedant; Et consequenter cum
 hodie discrimen masculorum Et foeminarum sublatur, Et
 viris foemine equiparata sint quo ad jus succedendi, non
 tantum fratrum filii soli patruis, sed Et fratrum Et foro-
 rum filii filieve, soli solæve, sive patruis, sive amitis, sive
 materteris, sive avunculis sine liberis defunctis in capita
 succedunt. Assumptum probatur: 1. Per textus expressos,
 l. post consanguineos 2. §. hæc hereditas 2. ibi: omnibus in
 capita ff. de suis Et legat. hered. l. 1. §. fin ff si pars hered.
 petat §. hoc etiam 4. Inst. de legat. agn. success. Et l. lege 12.
 tabb. C. de legat. hered. Deinde hac ratione: Si jure veteri
 divisio fit in stirpes, necesse est, ut sit jus successionis, seu re-
 presentationis; hujus enim juris est successio in stirpes.
 Atqui jure veteri l. 12. tabb. nulla est successio agnato-
 rum jure representationis; quia si frater Et fratris filius
 extant ad tertii fratris defuncti hereditatem solus admitti-
 tur superstes frater, excluso fratris filio, l. 3. C. de legit.
 hered. l. 3. §. si duo in fin. C. de legit. tutor. Si absque fra-
 tribus tantum fratrum filii extant, succedunt non jure re-
 presen-

praesentationis, sed jure suo in capita. d. l. 2. §. 2. ff. de suis
& legit. Hered. E. jure veteri l. 12. tabb. nulla est agnato-
rum successio in stirpes, vel inter agnatos nulla in stirpes
fit divisio. Ratio 2. Quid opus est multis? Ipse Imperator
Carolus V. in hujus controversiae decisione ipsum veritatis
oraculum, in Comitibus Spirensibus Anno 1529. hanc assertio-
tionem pragmaticâ sanctione confirmavit sub titulo: Kay-
serliche Constitution vnd Satzung / wie Brüder vnd
Geschwister Kinder / ihres Vatern Bruder oder Schwes-
ter Güter vnter sich theilen.

XIV.

Circa materiam obligationum concludi-
mus; quod mulier ratione dotis suæ, omnibus
mariti creditoribus tacitam hypothecam an-
teriolem; non verò anteriorem expressam ha-
bentibus præferatur.

Cum antiquo gloss. Bulgar. in l. assiduis 12. C. qui po-
tio. in pignor. & in §. fuerat Inst. de act. ibiq. Br. Ang. Fab.
Jas. Zas. Gomez. Schn. Wes. Eoque in par. ffstorum. qui
potiores in pignor. nu. 3. & cons. 50. nu. 28. Donel. ad d. l.
assiduis. 12. ibiq. Sichard. Heig. ad §. creditor nu. 40. tit.
Quib. mod. re contr. obl. & aliis ab his relatis. 1. Mulier
præ illis creditoribus jus prælationis habet, qui temporis
privilegio sunt vallati, d. l. assiduis 12. §. ad hac, in ver-
bo, licet, C. qui pot. in pign. At verò, qui expresse sibi de
hypotheca caverunt, jure communi tuti sunt, utpote quo con-
stat conventionem pignus contrahi; ac proinde privilegio
non gaudent. Ergò his privilegiatis tantum non verò illis
ratione dotis mulier præfertur in concursu creditorum.

2. Mulier

2. *Mulier ratione dotis in hypotheca anterioribus mariti creditoribus præfertur, quatenus in personali actione tali privilegio prælationis utitur d.l. assiduis 12. vers. cum enim. At in personali actione mulier non præfertur anterioribus creditoribus, nisi privilegiariis, id est iis, qui beneficio legis prærogativam habent. Ergò, nec in hypotheca mulier aliis quàm privilegiariis præfertur. Cessante enim ratione legis cessat lex ipsa. ipsa l. adigere ff. de jure patronatus. Et quæ ob causam aliquam fiunt, secundum modum ipsius causæ determinari debent. l. Sejo in princ. ff. de annuis legat: vel ita: Quibus creditoribus mulier ratione dotis in actione personali præfertur, iis etiam præfertur in pignore vel hypotheca, ob paritatem rationis, eò, quod Imperator in d. vers. cum enim, dicat, ideò mulierem in hypotheca præferendam esse creditoribus anterioribus, quia in personali actione tali privilegio utitur. At in actione personali tantum creditoribus privilegiariis, id est, ex lege anterioribus præfertur. Ergò nec in hypotheca aliis creditoribus, quàm qui ex eodem legis & privilegii beneficio hypothecam, id est, tacitam habent præfertur. 3. Fiscus nunquam præfertur expressam hypothecam anteriorem habentibus, sed tantum tacitam anteriorem habentibus, l. 8. ff. qui potio. in pignor. l. 4. C. eodem. Atqui mulier & fiscus pari passu ambulant l. 2. C. de privil. fisci l. 9. C. de jure dotium. E. & mulier mariti creditoribus anteriorem expressam hypothecam habentibus in dotis persecutione non præfertur.*

XV.

Ad actionum materiam ponimus hanc assertionem: Quod si homo occisus in confinio inveniatur, sed non constat, quomodo &

D

ubi

ubi sit occisus, & quo loco primum deciderit, tunc cognitio pertineat de eo ad eum, in cujus territorium caput occisi porrigetur.

Et quidem cum communi Doctorum schola. Nam
1. *Quemadmodum locus ille efficitur religiosus, ubi hominis principale est conditum, ita locum illum fieri cognitionis judicialis, ubi principale hominis est repertum, quoad casum presentem verisimile est, ubi enim par ratio, ibi idem jus; & una determinatio respiciens plura determinabilia, equaliter illa determinat, argum. l. jam hoc jure 4. ff. de vid. & pupill. sub. & l. quamvis 4. ibique Dd. C. de impub. & aliis substitit. imò dum locus ille religiosus efficitur hoc ipso fit aliqualis cognitio judicialis. Atqui ubi caput hominis est conditum, ille locus efficitur religiosus, eò, quod principale hominis membrum sit caput l. cum in diversis 44. ff. de religios. & sumpt. funer. Ergò locus etiam ille adjudicandus est cognitioni judiciali. 2. Quando homo in confinio occisus reperitur, tunc de hoc cognitio sit judicis, aut ejus loci ubi caput, aut ejus, ubi cor, aut ejus, ubi pars infima & pedes ejus reperiuntur. Plures enim in sententias Dd. non abeunt, ac nec plures fortè reperiuntur, partes in homine occiso, de quibus contentio cognitionis judicialis existat. At nec ille judex est, ubi cor, nec ille ubi pedes. Ergò ille judex est, ubi caput reperitur. Non ubi cor: quia Jcti externa considerant & perspiciunt, non interna & intrinsecus occultata scrutantur. Atqui hic caput hominis est externum, cor internum; & caput cognitiones cordis aperit & exprimit, ipsum cor à nemine perspicitur & cognoscitur. Ergò in capitis loco fiat cognitio. Neque ubi pedes: quia 1. potest contingere, ut vel dexter pes & caput in altera confinii parte; sinister verò pes solus iterum in altera hereat,*

746

hæreat, & contra fieri potest; Et adhuc valde dubium erit, cui domino competat cognitio, quia utrobique præsto sunt pedes. Deinde contingere potest, ut cadaver incurvatum in medio, & pedes extensum jaceat, ita ut podex vel posteriora, quæ in infima etiam parte sunt, pertingant ad limites primi domini, dexter pes ad limites secundi domini, sinister ad limites tertii porrigatur, imò ut crura in secundi & tertii, ipsi verò pedes in quarti & quinti limites extendantur; & hic nemo decidet, quo in loco propriè sint pedes? Relinquitur igitur, capitis locum esse cognitionis judicialis.

XVI.

Denique ex materia judiciorum concludimus: quod judex, dum conscientia sua & acta discrepant, debeat tamen judicare secundum acta & probata.

Atque ita quidem etiam cum communi Dd. sententia: 1. Quia judex illud imprimis observare debet, ne aliter judicet, quàm legibus aut constitutionibus aut moribus proditum est, princ. Inst. de officio jud. Nov. 8. per tot. Conscientia autem privatum quid est. E. 2. Sententia contra legum præscripta à judice lata adeò inutilis est, ut ne appellatio quidem necessaria sit, ff. quæ sent. sin. app. rescinduntur; sed sententia ipso jure nulla erit, l. si expressum 19. ff. de appell. l. 2. C. quando provocare non est necesse. Atqui dum judex secundum conscientiam suam, quæ actis & probatis repugnat, pronunciat, sententia ejus est, contra legum præscripta. E. nulla. 3. Veritas constat ex fide eorum, quæ probantur, l. illicitas 6. §. veritas 1. ff. de off. præsid. l. penult. ff. de probat. cap. laudabilem ex-

tra de judiciis. Atqui iudex debet judicare secundum ve-
ritatem, l. rem non novam. 14. C. de jud. E. secundum
acta & probata. 4. Veritas rerum erroribus gestarum
non vitiatur, & ideo praeses provinciae id sequatur, quod
convenit cum ex fide eorum, quae probantur. Acta autem
& probata in iudicium deducta veritati congruunt, ut quae
in jure fundantur; Conscientia iudicis rerum gestarum
erroribus potest in ambiguas partes abripi, ut vitiata va-
cillet. E. 5. Denique pro hoc bene expendatur l. fin.
C. de appell. in fine, ubi iudicis conscientia
seponatur.



VIRO-



VIRO -- JUVENI

Præstantissimo, Politissimo

Dn. RESPONDENTI,

Amico candido, Commensali optimo
gratulabar.

Militat in studiis omnis Studiosus honestis
Et sua, crede, Themis prælia dura tenet.
Arma sibi poscunt juveniles militis annos,
A pueris studiis invigilasse juvat.

Dignus laude Vir est, Martis qui castra secutus
Infracto patrios corde tuetur agros.

Dignior at multò est, qui scandit Apollinis arcem,
Edit & ingenii maxima signa sui.

Hoc dum Tu præstas, quisnam te summe Camænum
HARTVVIGI indignum cultor honore putet?

Macte hoc, macte animo, rectâ sic itur ad astra,
Prælia divinis hæc placuere Viris.

Perge ita, nec cessa, Themidos decurrere campo:
Illicò perpetuus sponte sequetur honos.

Non hostes deerunt, Tu contra audentior ito
Victor, ut hoc referas læta trophæa loco.

D 3

Præsidio

*Præsidio es Ducis instructus, quo sternere quosvis
Adjutore hostes non sine laude potes.
Tu quoq; præclarâ doctrinâ es cultus & arte,
Quæ docet omnigenas dissoluisse strophas,
Macte animis, animis opus est, & pectore firmo
Reprime constanti noxia manu tela.
Sic tibi Pimpleo Chloris de flore coronam
Nectet, sic Themidos laurea ferta feres.*

M. Johannes Olthoff Rostoch.
Philos. Facult. Adjunctus in
Salana.



A D

Præstantissimum & Literatissimum

DOMINUM

*HARTVVIGVM zur Burgk/ Popularem
& Amicum suum singularem, de nonnullis juris
questionibus publicè disputantem.*

O Tempus niveum, jubarq; felix
Quo primum à teneris litavit annis

HARTWIGUS Clariis bonus puellis,

Quo mentem studiis piè excolendam

Turbæ Thespiadum dedit fororum,

HARTWIGUS Clariis placet puellis,

HARTWIGO Aoniæ placent puellæ,

HART-

748

HARTWIGUS Themidi placet sacrata,
HARTWIGUM Charites amant sorores;
Ipsam jam viridem citant in hortum
Hortis Hesperidum beatiorem,
In quo non violæ, rosæ, aut leguntur
Pallentes violæ, aut amara, cui
Non flores nitidi: Scientiarum
Sed dotes, animum elegantiosem
Quæ fingunt, faciunt venustiosem.
Hic Juris varios datur recessus
Lustrare, atque sitim datur sedare.
O lucem niveam, diemq; faustum,
O solem niveum, diem benignum,
Quo fidus meus, & favens amicus
Hortos Thespiadum sacros adivit,
Et legum dubios adiit recessus.
O lucem niveam, diemq; faustum
O tempus niveum, jubarq; faustum,
Quo Divæ Themidis petiit facellum,
Hinc gratus Themidi meus sodalis,
Hinc gratus patriæ favens amicus
HARTWIGUS studiis domum redibit
Præclarus, patriæ decus futurum.

*faciebat L. M. Q.
Rupertus Janus Buxtehu-
dâ-Saxo.*

FINIS.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



ULB Halle
005 132 614


3



W 17







B.I.G.

Farbkarte #13

JURIDICA
ICA,
1618, 11
NENS
ET ILLUS-
ROVERSAS
s Institutionum

43
794.
13

iam recapitulationem
stitutionum privati
estri expediti.

ET AUSPICE
E T
Amplissimo Jctorum Collegia
Salana,

SIDIO
cellentissimi Viri
SII, BRANDENBURG.
U. D.
discutiendam proponit
HAELENSIS SAXO.
Martii.

AE
S BEITHMANNI,
1618

132

h.

